

B. II, 113.

X 1879286

h. 25, 13.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE



RE MONETARIA
IN S. ROM. GERMAN.
IMPERIO,

Quam,

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,

ex Decreto

MAGNIFICI, NOBILISSIMI

ET AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

IN CELEBERRIMA ARGENTORATEN-
SIUM UNIVERSITATE.

pro consequendis

Summis in utroque Jure Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus.

Solenni Eruditorum Examine

submittit

GEORGIUS WILHELMUS SPENER,

Rupisvilla - Alfatus.

Ad diem 17. Decembr. Horis Loquoque solitis.

ARGENTORATI,
LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.

Anno M DC LXXVII.

7. 2.

1879286



ILLUSTRISSIMIS
COMITIBUS ac DOMINIS
DOMINIS

PHILIPPO REINHARDO, &
JOHANNI REINHARDO
FRATRIBUS GERMANIS,
COMITIBVS IN HANAV,
RIENECK ET ZWEYBRÜCKEN, DOMINIS
IN MÜNZENBERG, LIECHTENBERG
ET OCHSENSTEIN &c. &c.

HEREDITARIIS EPISCOPATUS ARGENTORATENSIS
MARESCHALLIS, & ADVOCATIS SUPREMIS

hunc Studiorum suorum,

IPSISMET jam ultra Lustrum unice dicatorum,
Partum

de Monetam in Imperio eudendi Jure,

ILLUSTRISSIMÆ IPSORUM FAMILIÆ
ante aliquot Secula concessa,
cum Voto,

ut quotidianis Virtutum Fortuna sua excelso
dignarum incrementis

SERENISSIMÆ MATRIS Vota, & Spes Subditorum
impleant,

inque lætiora, quam hætenus in tenera ætate
sua experti sunt, Tempora reserventur,
in tesseram

perpetuæ Fidei & devotissimæ Observantiæ,
quæ decet humilitate, consecrat

Georgius Wilhelmus Spener.





I. N. F.



Uti exantlatis haud ita pridem
in Utroque Jure Examinibus, impetra-
toque à Magnif. & Nobilissimo Jcto-
rum Collegio honorifico Decreto lo-
co Disputationis Inauguralis proluxio-
rem Utilissimæ æquè ac Amplissimæ

huius, de *Re Monetaria in S. Rom. German. Imperio*, Mate-
riæ explicationem meditatus fueram, ob gravio-
rem quandam causam manum abstrahere, & arctioribus
eam includere terminis cogor:

*Annuat huic operi nostro, cæptisq; supremus
Argenti ac Auri Conditor, ALMA TRIAS!*

THES. I.

Olim cum sine commercio diversarumque rerum & ope-
rarum communicatione vitam vix commode degere ho-
mines possent, unusquisque secundum necessitatem
temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quia autem
maximis ista permutatio difficultatibus exposita erat. *l. i. pr. D.
de contr. Emt.* opus fuit aliquo, quo commutandarum diversi
generis rerum inæqualitas comparatione exæquaretur, cujus-
que publica & perpetua æstimatione difficultatibus permutatio-
num æqualitate quantitas subveniretur.

II. Gentes itaque humanæ tacito consensu usu exigen-

te & humanis necessitatibus, §. 2. *l. de Jur. Nat. G. & C.* metal-
la quædam, quæ generaliter æstimatione sui rerum omnium
æstimabilium vices subirent, elegerunt, appendentes primo ea
in commerciis, ac ad quantitatem ponderis Valorem cujusque
rei definiens. *Genes. 23, 16. Hiob. 28, 15. Jerem. 32, 9. 10.* sed
cum procedente tempore appendendi ratio molestior videre-
tur, cujuslibet Reipublicæ Principes certæ quantitatis & mate-
riæ Laminas diversis imaginibus insignire cœperunt, ad indi-
candum secundum quantitatem Materiæ & Ponderis imposi-
tum Valorem.

III. Istæque Laminæ seu bractæ ex justo metallo, legiti-
mo pondere, autoritate & forma publica signatæ & certo Va-
lore definitæ, quod signis nos suis tum Valoris, tum Autoris
moneant, *Monetæ*, qua voce alias etiam officina monetalis *l. 6.*
§. 1. D. ad l. Jul. Pecul. l. 2. C. de fals. monet. notatur; à Pecudum
nota, vel quod Veterum in iis divitiæ constiterint, *Pecunia*; à
Græco νόμισμα, quia certa Lege consistant, *Numi* seu *Numismata*
appellantur.

IV. Variasque à diversis petitis causis distinctiones reci-
piunt, utpote à Causa Efficiente, alia *Monetæ*, secundum Con-
stitutiones Imperii, ab Imperatore & Statibus; alia à Principibus
extraneis ad Leges cujusque Reipublicæ cusa. Materia diver-
sa Aurum Argentumque, purum vel cum alio sequiori metallo
mixtum, diversam quoque constituit *Monetam*: Sicut & alia in-
de vocatur *Extraordinaria*, ex viliori materia, tempore neces-
sitatis fabricata, alia *Imaginaria*, nullam certam numerum spe-
ciem substratam habens, e.g. ein Pfund zu Strassburg/ ein Marck
Lübeckisch. à Forma, distinctio grossæ *Monetæ* à maxima specie
ad quincrucigeros descendens & minutæ petita. Finis, numos
in memoriam Jubilæi, Victoriæ, Nativitatis aut Mortis alicujus
Principis, alteriusve Rei insignis, vel in symbolum Gratia,
als ein Gnadenpfenning/ fabricatos, ab iis, qui ad verum *Monetæ*
finem, commercia commodius exercenda tendunt, distin-
guit.

V. Cum autem in qualibet Republica, supremæ Potesta-
ti Jus *Monetæ* competat, inque Imperio Romano penes Uni-
versum

versum olim Populum, per Triumviros Monetales id exercen-
tem, fuerit. *l. 2. §. 30. D. de O. I.* omni Populi Imperio in Impe-
ratorem translato, Jure proprio in signum Superioritatis offibus
Imperatoris inherere cœpit, & adhuc hodie Imperiale decus at-
que dignitatem exornat. **Kaysert. Land- und Lehenrecht.**
lio. 1. cap. 12. wir sprechen / daß alle Mûngen / die im Rômischen
Reich seynd / die seynd eynes Rômischen Kûnigs.

VI. Nec aliter Regale hoc Monetam cudendi Statibus
Imperii competit, quam ex Imperatoris, (non denegata in In-
terregno Vicariis Imperii ea potestate. *arg. c. 5. A. Bulla,* licet
nusquam quantum mihi constat, exercuisse legantur:) consen-
su vel expresso, per Privilegium, vel tacito, Præscriptione Im-
memoriali. *arg. c. 26. X. de V. S. add. A. B. c. 9. in f.* unde
Kaysert. Land- und Lehenrecht l. c. wer sie / die Mûngen / will
haben / er sey Pfaff oder Ley / der muß sie haben von dem Rômischen
Reich und von dem Rômischen Kûnig. & Fridericus III. Reform.
Mogunt. 1441. ist auch billig dieselbe / so bis anher gemûnzt haben /
zu erfordern / und eines jeden Freiheit / auch Gerechtigkeit zu verhõ-
ren / und welche aus Fürstlicher Oberkeit und rechtem altem Her-
kommen / nach Erkantnuß der Nothdurfft zugelassen wurden / so sol-
ten die andern tod und abe sein. *Capitul. Ferdinandi IV. art. 35. &*
gloriosissimi moderni Imperatoris LEOPOLDI I. art. 34.
welche dasselbe Regal und privilegium nicht mit unserer Vorfahren
Rôm. Kaysern / und der Churfürsten Verwilligung erhalten / oder
sonsten rechtmässig und beständig hergebracht zc. unde non quem-
vis Statum ipso Jure Territoriali hoc Regali, sed ex gratia Im-
peratoris, gaudere, patet *Edict. Monet. 1559. §. 178. add. R. I.*
Spir. 1529. §. 38. August. 1551. §. 46. 1566. §. 169.

VII. In *c. un. 2. F. 56.* Jus Monetæ non aliter considera-
tur, quam quatenus, æque ac reliqua in eo Capite recensita Re-
galia, ut ex repetitione Historiæ ejus Temporis de scopo, confi-
lioque & argumento Capitis illius constat, Jus Fiscus erat. *conf. in*
Privileg. der Statt Franckfurt part. 2. fol. 282. privilegium
Sigismundi Imper. datum 1429. ibi. auch sollen die ehe genandte von
Franckfurt Uns oder Unsern Nachkommen an dem Reich / von
einem jeglichen Marck fyns Golds / die also vermûnzt wird / einen
A 3 halbert

halben Gülden zum Schlegeschlag geben / in Unser und des Reichs^o Kammer.

IIX. Saluberrimas equidem de Regali hoc ac Jure Majestatis in Imperio habemus Constitutiones, quibus singuli fere superioris seculi Recessus Imperii repleti sunt, quæque omnibus, quantum in talibus possibile, malis medendis satis validæ forent. *R. I. Spir. 1570. §. 120.* daß ohn allen Zweifel / da man nur derselben Ordnung und Edict im münzen / probiren und andern stücken / wie sich gebürt / nachgelebt / auf diese stund alle böse Münzen / so wohl heimische als frembde abgeschafft / und man sich angeregter gemeiner gerechter Münz allenthalben im Reich hätte mögen erfreuen. *R. Deput. Francof. 1571. §. 2.* solch Münzordnung und Edict von jederman / als wohlbedacht / gerecht und gemein nützlich gelobet. *R. I. Ratisp. 1576. §. 65.* die Münzordnung ist dermassen verbessert / daß zwar daran nichts mehr übrig / dann allein / daß dieselbe allenthalben im Reich zu gleichmässiger durchgehender Vollziehung gerichtet und exequiret würde. *R. I. August. 1582. §. 67.* ist dermassen vernünfftiglich bedacht / daß es nicht zu verbessern / sondern / zu erhaltung gleichmässiger Billigkeit / in den Münzen und in allen commercien, dasselbe fest zu handhaben / zum höchsten nützlich und nöthig. *R. I. Ratisp. 1594. §. 100. ibi. also / daß nicht wohl zu sehen / was zu solchen heilsamen Satzungen und Münzordnungen dieser Zeit weiters zu thun sein möchte. nisi vulgò negligenterentur: proinde non defectus, sed sequior Legum observantia, d. R. I. 1570. §. 121. d. Rec. Deput. §. 17. querelas, quæ ab Universis & singulis Imperii Membris de corrupto Rei Monetariæ Statu funduntur, generat.*

IX. Cum Cæsares in concedendo Jure Monetandi admodum liberales se exhibuerint, consensus hodie, per *Capit. Rudolphi II. art. 29. Matthia. art. 34. Ferdinandi II. art. 33. Ferdinandi III. art. 37. Ferdinandi IV. art. 35. LEOPOLDI I. art. 34.* Electorum accedere debet: Privatoque vel Civitati Municipali largiendo hoc Jus nihil agitur. *d. Capit. ubi: fürnemlich aber bey denen Stätten / so dem Reich immediatè nicht / sondern den Reichsständen unterworffen / revociren, cassiren, und hinführo ferner nicht ertheilen. Quæ enim Rescripta contraria Juri vel Utilitati*

Itati publicæ, non valent, per *l. 10. C. de SS. Eccles. l. un. C. de SCtis.*

X. Nec aliter hoc Jus cuiquam indulgeri potest, quam ut Legibus & Edictis monetilibus conformis cudatur Moneta, *Ed. Monet. §. 178.* unde & finis hujus Regalis, daß man es nicht zu seinem Vortheil / sondern dem Heil. Reich zu Ehren und Wohlfarth brauchen solle / vox majestate Regnantis dignissima, & in omnem æternitatem summis laudibus decantanda in *R. I. Spir. 1570. §. 132.* adponitur: imò si Imperator contra Edictum indulserit Privilegia, nulla dicuntur. *d. Ed. Monet. §. 170. 179.*

XI. Statui quoque Monetali, non sine optima ratione, ne suum Monetandi Jus vel in Monetarium vel alium Statum locationis aut alienationis titulo transferat, pluribus locis interdictum, *R. I. August. 1551. §. 46. Ed Monet. §. 175. 177. R. I. Spir. 1570. §. 132.* ubi additur: omnia pacta & instrumenta contra hanc prohibitionem facta pro irritis & nullis habenda esse. *R. I. Ratisp. 1594. §. 102.*

XII. Monetarii tum ipsis Jure monetandi dotatis, tum Collegio Circulari Universo, inquisitione prius in ortum, peritiam, fidem, & vitam ante actam facta, juramento devinciendi *Ord. de probat. monet. 1559. §. 14. d. R. I. Spir. 1570. §. 134. d. R. I. Ratisp. 1594. §. 102. in f.* officiumque eorum ex generali Consuetudine, Legibus etiam Imperii passim confirmata, nec refragante, secundum nonnullorum explicationem, *l. 1. l. 7. pr. l. 13. C. de murileg. & gynac. l. 6. C. de Dignit.* ipso jure Justiniano, honestum. *arg. d. Ord. de prob. mon. R. I. August. 1566. §. 163. Spir. 1570. d. l. R. Dep. Francof. 1571. §. 33.*

XIII. Wardinus, Docimastes seu Zygoftates generalis ab universis Ordinibus cujusque Circuli communibus sumtibus alendus. *d. Ord. de prob. monet §. 24. 25. R. I. August. 1551. §. 40.* Wardinus autem etiam proprius à quolibet Statu monetali constituendus, qui, ut omnia legitime fiant, observet, universo quoque Collegio Circulari fide obstrictus, *d. Ord. §. 16. 17. R. I. Spir. 1570. §. 135. R. I. Ratisp. 1594. §. 102.* Ægrotante forte Wardino, ut Vicarius ipsius sumtibus constituatur, & formæ ferreæ usu obtusæ coram Monetario à Wardino frangantur, ne fraus

ne fraus aliquando iis committi possit, singulari cura provisum.
d. Ord. §. 19. 20.

XIV. Nec Ordines, in formarum etiam Sculptorum aliorumque Ministrorum Juramentis Mercedibusque exquisite definiendis, summam suam de Re Monetaria sollicitudinem proderedignati sunt. *d. Ord. §. 22. 32. seqq.*

XV. Partes Monetæ Jure Justiniano determinatæ l. 1. *pr. D. de contr. Emt. l. 1. C. de Vet. Num. pot. add. Nov. Leon. 52.* intrinsecæ, Materia & Pondus, Gewicht und Gehalt/ seu schroet und Korn / & extrinseca Forma; cum Valore, autoritate publica definito, accuratè etiam in Constitutionibus Imperialibus passim definitæ sunt. v. *Caroli V. Peint. H. Ger. Ordn. art. 111.*

XVI. Aurum & Argentum, ut apud plerasque gentes, communi consensu in pretio atque æstimatione, ob puritatem, soliditatem, durabilitatem, raritatem, multasque internas Virtutes habentur; ita & in Imperio nostro Materia Numorum existunt, plane reprobatis, æque ac de Jure Romano l. 9. §. 2. *D. ad L. Corn. de fals. stanneis, plumbeis, ferreis, coriaceisque,* ob ineptitudinem suam monetis.

XVII. Æreorum numorum, cum metallum hoc rubigini materiam exedenti obnoxium, in Germania purorum nullus est usus, licet prima apud Romanos Monetæ materia fuisse dicatur: unde adhuc alterius etiam materiæ Numos significatu suo Æs complectitur. l. 159. *D. de V. S.* admiscetur tamen aliquid Æris juxta determinationem Constit. Imperialium Argento Auroque, non tam, quod sine additamento tali ob mollitiem generosiora ista metalla continuo usu atterantur, quam ob impendia fabricationum, *arg. R. I. August. 1551. §. 46.* & quia argentum aurumque originaliter pura non inveniuntur, ac non nisi summo labore magnisque sumtibus, & vix in majore massa, illud tamen facilius, quam aurum l. 12. §. 1. *D. de A. R. D. junct. l. 5. §. 1. D. de R. V.* ab heterogenea omni materia ad conficiendum aurum obryzatum. l. 3. *C. de Vet. Num. pot.* & argentum pustulatum. l. 31. *D. Locat.* separari possint.

XVIII. De pretio Auri atque Argenti in Imperio constituendo *R. I. Norimb. 1524. §. 25. & Spir. 1529. §. 33.* deliberatio

beratio decreta, & postea *R. I. August. 1551. §. 36. 46. Ed. Monet.*
 1559. §. 3. seq. §. 64. 68. determinatio per definitionem, quot Du-
 cati, Thaleri &c. ex marca fabricandi facta, proportioque talis
 iusta Ed. Monetali iudicata, ut $11\frac{1}{4}$ Marcæ Argenti puri uni ferè
 Marcæ puri auri responderent, cudendo ex una marca argenti
 puri Imperiales novem, & sic ex $11\frac{1}{4}$ Marcis $101\frac{1}{4}$ Thaleros: ex
 marca auri puri 68. Ducatos vel $93\frac{3}{4}$ Aureos Rhenanos; ex qui-
 bus consequitur, valorem $101\frac{1}{4}$ Imperialium, 68. Ducatorum, &
 $93\frac{3}{4}$ Aureorum Rhenensium unum esse debere eundemque.
 Ast ubi Lex Ferdnandica nunc es!

XIX. Ponderus Monetarum saluberrime Edictis Mone-
 talibus decisum, ut omnia secundum Ponderus Coloniense æsti-
 mando. *R. I. August. 1551. §. 46. d. Ed. Mon. §. 65. R. I. Ratisp.*
 1576. §. 78. fierent ex una marca auri i. e. selibra, 16. scil. semiun-
 ciarum sive Lothonum in pondere, & in pretiositate 23 Caract.
 & 8. granor. Ducati 67. ex quo colligitur, 4 Ducatos appende-
 re fere unum Lothonem, & unum Ducatum drachmam, seu
 quartam unius Lothonis, eim quintesim. ex una marca auri 18 Ca-
 ract. & 6. granor. secundum dictas Constit. fabricantur 72 au-
 rei, unde 4 aurei cum dimidio unum conficiunt Lothonem, &
 unus aureus cum octava sui parte drachmam. Thalerus Imperia-
 lis pondere suo duos æquare debet Lothones, seu unam Unciam,
 ex una enim marca octo cuduntur. Florenos novem cum di-
 midio una marca continet, exinde justum unius pondus est ses-
 qui Lotho, una semidrachma seu Octava Lothonis cum una
 decima sexta $1\frac{1}{2}\frac{1}{8}\frac{1}{8}$ minus 32 parte unius Drachmæ.

XX. Granum dimidium si desideretur in auro, in poste-
 riori opere compensandum esse, si autem granum integrum, nu-
 mos reflandos: in Argento, si pondus grano integro minus sit,
 compensationem à monetario requiri, cum ultra granum pon-
 pus justo levius reflandos esse statuitur in *Ordin. de probat. monet.*
 1559. §. 2. 3. 4. sique in minuta moneta defectus quidam circa
 pondus exiguus occurrat. *d. Ord. §. 18.* itidem provisum; quia
 autem sæpius observatum hoc remedio Wardinos cum Mone-
 tariis abusos fuisse decretum de stricta ejus Observantia *R. I.*
Spir. 1570. §. 136. repetitum.

B

XXI. Fi

XXI. Figura qualis inprimi debeat, ut de bonitate Materiae Ponderisque intrinseca constet, & Valore secundum eam auctoritate publica imposito, accurate describitur in *Ed. Monet.* §. 10. 181. præcipiendo, ut numerorum crucigeris majorum (de minorum caractere, v. d. *Ed. Monet.* §. 18.) uni lateri inprimantur Imper. Rom. Insignia, Aquila scil. duorum Caputum coronata, cum Pomo Imperiali pectori inserto, numeroque Valoris indice, & nomine Imperatoris in circumferentia notato: alteri Domini Monetalis Insignia, cum inscriptione solita & numero anni.

XXII. Forma accidentalis est rotunditas, quæ in Imperio nostro, licet alibi etiam quadrati numi dentur, ob commoditatem & minus periculum à circumcisionibus, arrosionibusque recepta, unde semper fit mentio des *Zirkels.* d. §. 10. & *fin. Ed. Monet.*

XXIII. Unam in toto Imperio eandemque Monetam & diu expetitam *R. I. August.* 1500. tit. 21. §. 1. *Trevir.* & *Colon.* 1512. tit. 3. §. 19. *August.* 1530. §. 134. *Ratisp.* 1541. §. 61. 62. *Spir.* 1542. §. 130. *Norimb. ejusd. anni* §. 35. ac *Edicto Monetali* 1559. sancitam & *R. I. Spir.* 1579. §. 120. 122. 141. aliisque locis confirmatam, liquet, quantaque ejus Constitutionis sit utilitas damnum, ex non observatis saluberrimis istis institutis ortum, commonstrat. d. *R. I. Spir.* 1570. §. 121.

XXIV. Receptæ autem in Imperio Monetæ atque confirmatæ sunt aureæ, Ducati & Aurei Rhenani. *Ed. Monet.* §. 64. 68. *R. I. Spir.* 1570. §. 131. reliquæ aurearum monetarum species reprobata. d. *Ed.* §. 73. ad 146. *add. R. I. Ratisp.* 1576. §. 77.

XXV. Ducati, primum in Venetorum Republica percussæ (nomine ab inscriptione, *Sic tibi Christe datus, quem Tu regis, iste Ducatus,* fortè indito) conficiuntur ex auro puriori, quam proxime deficientibus tantum 4. granis, 72 parte Ducati, ad absolutissimam 24. Caract. puritatem accedente, nimirum 23. Caract. 8. gran. valorque eorum constitutus 104. crucig. *Ed. Mon.* §. 68. secundum Constitt. autem Imperii, non quilibet Jure ac Regali Monetandi gaudens Ducatos quoque cudere potest, sed tantum Electores per A. B. C. 10 & qui aurifodinas possident. *R. I. August.* 1551. §. 48, *Ed. Monet.* §. 68, *R. I. Ratisp.* 1576. §. 78.

XXVI. Au-

XXVI. Aureis Rhenanis seu Florenis (à Florentia, ubi primi cusi, & impressa Floris imagine sic dictis) deterioris metalli adjiciuntur 5. Cerat. cum dimidio, atque sic fere quarta pars, liga enim eorum est 18 Cerat. 6. gran. & Valor impositus 75. Crucig. *Ed. Monet. 1559. §. 64. 66. R. I. Ratisp. 1576. §. 78.*

XXVII. Monetæ argenteæ majores sunt Floreni, 60. crucigerorum, cum suis partibus mediis, sextis, duodecimis, pesque constituitur illorum 14 Lothon. 16. granor. *Ed. Mon. §. 3. seq.* Thaleri à Valle Joachimica, unde prima eorum origo, dicti *R. I. August. 1551. §. 48.* reprobati sunt. *d. Ed. Mon. §. 35. 36. tolerati. & ad 68 crucig. pretium valvati: nonnullis omnino ului exemptis à §. 38. ad 46. R. I. August. 1566. §. 151. 152. 153. & Spir. 1570. §. 141.* prius interdictum sublatum, certa liga, scilicet cum suis mediis, quartis 14 Lothon. 4. gran. definita. *R. I. Ratisp. 1641. §. 34.* valoris extensio ad 90. crucig. ad evitandum varias confusiones ob depravationem minutæ monetæ confirmata.

XXVIII. Summa Argenti puritas constituitur 12 Denar. 6. 16 Lothon. 12 denarii Pfennig singuli dividuntur in 24 grana, 16 Lothones singuli in 18 grana, & sic bini conficiunt 288 grana. patet inde in Thalero ad summam puritatem deesse unum Lothonem & 14 grana, atque sic nonam cujusque Imperialis partem ex admixto heterogeno metallo esse.

XXIX. De nimia minutæ, à minutissima der Heller und Pfennig specie ad quincrucigeros *Ed. Monet. §. 32.* monetæ copia & impuritate, quæ plurimis in Imperio damnis causam dedere, ita ut Imperialis anno hujus seculi vicesimo secundo, & tertio, ad 10, imo in Thuringia ad 24 Florenos apparenter excreverit. *v. d. Ed. Mon. §. 32. in f. R. Deput. Francof. 1571. §. 32. R. I. Ratisp. 1603. §. 56.* multas passim perspicere licet querelas; saluberrimeque proinde constitutum est, ut ad Ligam & Valorem certum redigerentur. *d. Ed. Mon. §. 7. 8. seq. R. I. Spir. 1570. §. 123. nec aliæ in provinciis species cuderentur, quam d. Ed. Mon. §. 12. seq. §. 48. recensitæ. d. Ed. §. 31. dū R. I. August. 1551. §. 36. & 1566. §. 155. ex hoc §. 31. restringēdi videātur, arg. R. I. Spir. 1570. §. 141. Kayf. Münzmand. 1571. ibi. etliche benante Landsmünzen. tum ne plures fabricarentur, quam in Provincia quaque necessariæ. d. Ed. Mon. §. 12.*

Ma-
eam
onet.
(de
pri-
tum
que
ota-
olita
Im-
om-
oni-
o. §
etam
olon.
Spir.
1559.
rma-
um,
on-
con-
§. 64.
ecies
rcnf-
is, iste
pro-
olu-
ct. 8.
. 68.
ega-
tan-
R. I.
Au-

seq. §. 19. 32. R. I. Spir. 1570. §. 123. 126. Ratisp. 1576. §. 71. 72. August. 1582. §. 70. Ratisp. 1603. §. 56. unde sapius ob abundantiam minorum numorum fabricatio ad tempus suspensa, & ad cusionem eorum ulteriorem Correspondentium Circulorum consensus adhibitio decreta. R. I. Norimb. 1524. §. 26. Ed. Mon. 1559. §. 34. R. I. Spir. 1570. §. 125. 129. Ratisp. 1576. §. 71. 72. August. 1582. §. 70. Ratisp. 1594. §. 101. 1598. §. 56.

XXX. Ejusmodi minoris monetae summam 25 Florenis majorem in solutionem accipere nemo tenetur. *d. Ed. Mon. §. 11. R. I. Ratisp. 1576. §. 76. utque minorem etiam summam in S Heller und Pfennig quis recipiat, cogi nequit. d. Ed. §. 33. cum in eum finem minutæ cudantur monetae, ut rerum tantum vilium pretium essent, maioresque numi facilius commutari, & si pretio quid detrahendum vel addendum suppleri quirent, unde & Schiedmünz vocantur.*

XXXI. Mutare justam monetam, extrinsecum, iisdem manentibus intrinsecis materia & pondere, valorem extendendo, aut eodem valore manente intrinsecam bonitatem diminuendo, Imperatori, non nisi Electorum reliquorumque Statuum consensu adhibito, & quidem ob prægnantissimam aliquam causam licitum est. *arg. R. I. Spir. 1570. §. 132. junct. Nov. Leon. 52. c. quanto X. de iurejur. l. 1. pr. vers. perpetua estimatio. D. de contr. Emt. R. I. August. 1551. §. 46. & passim. add. c. 4. X. de R. I. l. 13. D. fam. exercisc. l. 2. C. de patr. qui fil. distr.*

XXXII. Exportatio Auri & Argenti infecti extra Imperium probæque Imperii Monetae, extrancarumque importatio Monetarum pluribus Imperii Recessibus est notata, severeque & salubriter prohibita. *R. I. August. 1518. §. 6. Norimb. 1524. §. 25. August. 1551. §. 46. Ed. Mon. 1559. §. 50. 55. ad 64. §. 166. R. I. Spir. 1570. §. 142. R. Deput. Francof. 1571. §. 12. 14. R. I. Ratisp. 1576. §. 75.*

XXXIII. Usus tamen earum, quæ §. 149. ad 157. *Ed. Mon. & R. Dep. Francof. 1571. §. 34. R. I. Ratisp. 1576. §. 77.* recensentur, ob mutua cum Exteris exercenda commercia, justo secundum intrinsecam bonitatem pretio imposito & pro cusionem ejusmodi specierum in ipso Imperio prorsus prohibita, toleratus, & nonnunquam extraordinarie in nundinis Mercatoribus indultum.

ductum, monetas alias prohibitas, sub conditione, ut Statibus Monetalibus conflandæ postea exhibeantur, recipere. *Procl. Monet. annex. R. Deput. Francof. 1571.*

XXXIV. Ne autem ob devaluatam monetam, aut extraneæ prohibitionem, subditi pecuniarum suarum jacturam facerent, provide sex menses, quibus expendi & sine tanto Civium Imperii damno evehi per commercia quirent, præfixi. *Ed. Mon. §. 50. 51. 53. 70. 71. 147. R. I. August. 1566. §. 166. iisque elapsis, ut magistratus à subditis suis æquo pretio numos istos reprobatos redimerent, & eos conflando novam legibusque Imperii conformem inde monetam cuderent, injunctum. d. Ed. Mon. §. 46. 52. 72. 172. R. I. Spir. 1570. §. 145. d. Münz procl. annex. Rec. Dep. Francof. 1571. R. I. Ratisp. 1576. §. 74.*

XXXV. Monetæ probæ in fornacibus resolvi, inque minores converti numos vetantur. *R. I. Ratisp. 1598. §. 57. P. H. G. Ordn. art. III. nec aurificibus aliter, quam pro artificii sui necessitate, & non sine magistratus præscitu aureas argenteasque conflare licet monetas. d. Ed. Mon. §. 173. 174.*

XXXVI. Quo variis contra Leges Imperii monetam fabricandi occasionibus via præcideretur, constituendæ in quovis Circulo tres vel quatuor Officinæ monetales, ad cudendum in iis à Statibus metallifodinas non possidentibus Monetam. *R. I. Spir. 1570. §. 133. Ratisp. 1576. §. 70. 1594. §. 102. iis enim, qui fodinis gaudent, alibi etiam monetas erigere haud denegatum, modo sola ex ipsis fodinis eruta metalla in iis cudantur. R. Dep. Francof. 1571. §. 27.*

XXXVII. Saluberrime quoque Constitt. Imperialibus provisum, ut quotannis, vel unus, si necessitas rerum monetalium non plures requirat, vel duo Cal. Maij & Octobris probatorii in singulis Citculis Conventus, salvo conductu munitis Imperiali eò proficiscentibus, instituantur. *d. Ed. Mon. §. 158. 159. 160. R. I. August. 1566. §. 171. Spir. 1570. §. 137. seq. Ratisp. 1576. §. 69. R. Deput. Francof. 1571. §. 28. In quibus à singulis Statibus pyxides Monetales, clausuris aliquot munitæ, proferendæ, ut quid, quantumque, quo tempore & qua bonitate, à quovis monetatum sit, eximmissis à Wardino de singulis operibus in pyxidem*

numis, probatione per aquam & ignem facta, à Zygoſtata generali perſpici poſſit. *d. Ord. de prob. Monet. 1559. §. 1. ubi & §. ſeqq.* plura etiam de modo probandi, dubiæque probationis reviſione adduntur, quæ ibi videri poſſunt.

XXXIIX. Nec debiliore nititur ratione, quod per *R. Deput. Francof. 1571. §. 28.* Correferentia inter Circulos Rhenanos, & Weſtſalicum; Saxonicos; Franconicum, Bavaricum & Suevicum cum Auſtriaco: decretis eorum earundem cum Receſſibus Imperii generalibus, quoad ipſa Circulorum iſtorum Membra, virium eſſe juſſis. *R. I. Auguſt. 1582. §. 69.* alenda, hæc enim ad unitatem Monetæ conciliandam atque conſervandam optima eſt via.

XXXIX. Quam ſolicite & Caput & Univerſa Imperii Membra, ut differentiæ iſtæ Rei Monetariæ in Imperio tollerentur, quæſiverint, vel ex ſola Burgundici Circuli ad conformitatem reliquorum circuloꝝ, quoad monetam, obſtringendi, frequentiſſima mentione facta, patet. *R. I. Ratiſp. 1532. c. 8. §. 2. 1541. §. 65. Auguſt. 1548. §. 42. 1551. §. 50. Ratiſp. 1557. §. 85. Auguſt. 1566. §. 160. 172. R. Dep. Francof. 1571. §. 9. 10. R. I. Ratiſp. 1576. §. 68. Auguſt. 1582. §. 71. Ratiſp. 1598. §. 49. 50. Spir. 1600. §. 162. in f. Ratiſp. 1603. §. 54.* cujus membra etiam *d. R. I. 1566. §. 173.* promiſerunt, Imperialibus ſe Legibus conformia exhibitura, modo antea à ſingulis quoque Imperii Statibus recepta forent; propterea *eod. Rec. §. 175.* ſub ea conditione Edictum, quo commercium Monetarum cum iis, æque ac aliis extraneis, prohibitum erat, revocatum.

XL. Ad conſervandum autem ſalubriter inſtituta in Statu integriore, ordinatum præterea, ut Ordines Circulares, ne ab ullo ſui aut vicini Circuli Membro, monetam contra ligam Imperii cudendo, obedientia Legibus Imperii non præſtetur, Statum coram Camera conveniendo, Monetarios verò aut Wardinos ipſis vinculis mancipando, obſervent. *Ed. Mon. §. 165. R. I. Auguſt. 1566. §. 169. R. Deput. Francof. 1571. §. 19. 20. 22. 23.*

XLI. Electoribus, inprimis Rhenanis, *R. I. Spir. 1570. §. 147.* nec non Bavaro, Saxoni atque Brandenburgico, ne pecuniæ in nundinis contra Leges Imperii expendantur exportenturve, inquitio demandata. *d. Rec. §. 149. Münzprocl. annex. R. Dep. Francof.*

1571. Omnibusque *d. R. Spir.* §. 146. Statibus hæc cura in ditio-
nibus suis injuncta, sicut & *R. Dep. Francof.* 1571. §. 11. 13. 16. *cum Ed.*
Monet. annex. R. I. Ratissp. 1576. §. 75. 80. concessa etiam facultate
Statibus Edicta Constitutionibus Imperialibus non contraria
ad conservandum in integritate Rem Monetariam sancire. *R. I.*
Ratissp. 1594. §. 104. 1603. §. 54. *in fin.*

XLII. Imo privati, si quid contra Leges Monetarias
commissum sciant, indicare tenentur. *Ed. Mon.* §. 162. 164. præ-
mio tertiæ pœnæ pecuniariæ partis, ac impunitate, si innocentia
accusati deprehensa, dummodo fundamentis accusator destitu-
tus non fuerit, promissis. *d. Ed.* §. 163. 169. *R. I. August.* 1566. §. 177.
l. 1. C. de fals. monet. Servos, qui Monetarios adulterinam mone-
tam clandestinis sceleribus exercentes in publicum detulerint,
civitate Romana donandos statuitur *l. 2. C. pro quib. caus. servi pro-*
pram. lib. accip.

XLIII. Cum oderint peccare mali formidine pœnæ,
sanctissimæ Imperii leges pœnis quoque in transgressores statu-
tismuniendæ erant, quæ pro diversitate delictorum diversæ.

XLIV. Ignis supplicio afficiendi, qui ex falsa, pura, aut
mixta materia numos, s. maiores s. minores, modo non in mini-
ma tantum quantitate, adulterinos cudunt, Principisque etiam
inferioris formam fraudulenter imprimunt, aut dolose falsos ex-
pendunt numos. *P. H. G. Ordn. art. III. l. 2. C. de fals. monet.*

XLV. Arbitraria pœna, an Leib oder Gut/nach gestalt de
sachen / ut puniantur in corpore, qui non habent in ære *Ref.*
Francof. 1442. §. 14. *Ed. Mon.* §. 167. manet eos, qui absque privi-
legio monetam justî ponderis & materiæ, seu majoris seu mini-
mi valoris, Heller und Pfennig/cudunt, formamque alterius im-
primunt, qui alienam monetam conflant, & in minutiores nu-
mos convertunt. *d. art. III. P. H. Ger. Ordn.* ubi magistratus
cujus jussu numi resolvuntur, amissio Juris sui indicitur. *R. I. Ra-*
tissp. 1576. §. 77. quique, legitimum etiam pondus excedentes, nu-
mos, vel extraneos mutilant ac radunt, perve aquam fortem ex-
trahunt, *l. 8. D. de leg. Corn. de fals. d. Ed. Mon.* §. 162. oder sonst be-
trügllicher weiß granaliren, saigern &c. *R. I. Spir.* 1570. §. 143. *R. Dep.*
Francof. 1571 §. 23. in quos, quo magis homines, lucri alias cupidi,
de ver-

deterrentur, nec cum præjudicio Statuum numi eorum in for-
nacem conjecti resolutique alios ad usus transferrentur. *R. I. Au-*
gust. 1551. §. 47. Ed. Monet. §. 171. atrox ignis pœna statuta fuerat.

XLVI. Centum Marcas auri, à pravam monetam cu-
dentibus in pœnam solvendas, *Ref. Francof. 1442. §. 14.* contine-
tur; ab illa tamen recentioribus Imperii Constitutionibus, in qui-
bus pœna 50 marcarum auri pecuniaria non exceditur, recessum.

XLVII. Quinquaginta auri Marcas pendere tenentur,
qui Regali hoc gaudentes aliam, quam quæ Imperialibus Legi-
bus permessa, monetam cudunt, vel loco solutionis expendunt,
mulcta partim Fisco Imperiali, partim Circulo, sub quo domici-
lium habent, qui ita deliquerunt, applicanda. *Ed. Mon. 1559. §. 31.*
Ord. de prob. mon. ejusd. ann. §. 30. nulla differentia constituta in-
ter monetam majorem & minutam. at in *R. I. Spir. 1570. §. 127.*
minutos numos in majore copia & sine legitimo Circuli consen-
su cudens, confiscatione eorum punitur, suumque simul Rega-
le amittit, & damnum quibusvis datum resarcire tenetur, nec
appellationis remedio executionem paratam subterfugere po-
test. *R. Dep. Francof. 1571. §. 19. 20. l. 1. C. de fals. monet.* Imo & Mo-
netarius præter damni refusionem capitalibus etiam pœnis coër-
ceri potest. *d. R. I. Spir. 1570. §. 128. R. Dep. Francof. d. §. R. I. Ratissp.*
1603. §. 56. in fin.

XLVIII. Si quis Jus suum monetandi alteri locaverit
alienaveritve, ipse præter amissionem Regalis 40, conductor 10
marcarum auri pœnas incurrunt. *R. I. August. 1551. §. 46. Ed. Mo-*
net. 1559. §. 175. 176. 177.

XLIX. Sub pœna 20 Marcarum auri, cum Juris mone-
tam cudendi amissione, prohibita *R. I. August. 1551. §. 48.* fabri-
catio Thalerorum, aureorumque Grossorum dimidiorum &
quadrantium, quæ constitutio postea iterum sublata: eadem 20
marcarum auri pœna, etiam iis, qui ex ære non rudi argentum
excoquere conantur, *Ed. Monet. §. 171.* præscribitur.

L. Decem Marcæ Auri cum suspensione Juris Mone-
tandi ab illo, qui negligens in puniendo falsario Monetario *R. I.*
August. 1566. §. 169. & 2. Marcæ pœnæ loco solvendæ à privato,
qui crimen circa monetam commissum sciens dissimularit, nec
intra mensis spatium indicarit, *d. Ed. Monet. §. 162. 164.*

LI. Qui

LI. Qui, non perpenso Juris Monetam cudendi exercitio ad tempus sibi interdictum esse, illud exercet, præter plenam privilegii amissionem, ipso facto in Bannum Imperiale incidit, secundum *R. I. August. 1566. §. 159.*

LII. Condemnantur in expensas ab aliis Ordinibus Circuli, in quo Conventus probatorii celebrantur factas Status non comparentes. *Ord. de probat. mon. §. 28 R. I. August. 1566. §. 171.* suspensione quoque & amissione Juris sui talem puniri posse, docet *R. I. Spir. 1570. §. 139.*

LIII. Fisco cedunt numi, quos quis majore expendit æstimatione & valore, quam Constit. definitum. *Ed. Monet. §. 67. 69. 157. R. I. Ratisp. 1576. §. 78.* qua & pœna præter corporalem illico coercentur, qui rude aurum & argentum, monetamve extra Germaniam exportare, vel extraneam importare conantur, tertiaque eorum numismatum pars delatori debetur. *R. I. August. 1551. §. 46. Ed. Mon. §. 166. 167. R. I. August. 1566. §. 170. R. I. Spir. 1570. §. 142. R. Dep. Francof. 1571. §. 14. R. I. Ratisp. 1576. §. 75. 1594. §. 103.*

LIV. Eidem confiscationis pœnæ subjecti, qui debita 25 Florenis majora semibaciis aliisve minoribus exolvere numis, aut numos reprobatos, præstitutis sex mensibus elapsis, expendere contendunt. *d. Ed. Mon. §. 51. 53. 71. R. Dep. Francof. 1571. §. 31. R. I. Ratisp. 1576. §. 76.*

LV. Domus quoque, in qua quis adulterinam monetam clandestinis sceleribus formari patitur, fisco cedit. *P. N. Ger. Ordn. art. 111. l. 1. C. de fals. monet.*

LVI. Ut appendicis loco casus quidam circa restitutionem valvatæ, mutatæve & reprobatæ numorum speciei dubii decidantur, quotidiana me monet praxis.

LVII. Creditos numos certæ speciei e.g. Ducatos, Thalers in eodem genere creditori restituendos esse, licet hoc non expresse actum, elicitur ex *l. 2. §. 1. l. 3. D. de Reb. cred. l. 99. D. de solut. l. 74. seq. D. de R. I. l. 19. §. 3. D. Locat. Ed. Monet. §. 11.* etiamsi sumtu quodam, tolerabili tamen, eos conquiri necesse sit: Si vero genus pecuniæ immensam desiderat impensam, aut non amplius extat, solvenda æstimatio secundum antiquæ pecuniæ valorem

& intrinsecam ejus bonitatem. arg. c. 20. c. pen. X. de censib. Nov. 4. c. 3. l. 10. §. f. in f. D. de fur. Dot. l. 14. §. fin. D. de legat. 3.

LIX. In quæst. cum Comes quidam Civitati ante 100 annos 6000. thaleros Joachimicos mutuos dedisset, in antichresin accepta mola, jam 12000. thaleros valente, sub pacto, ut nisi redemptio thaleris Joachimicis fieret, molæ dominium ad Comitum successoresque ejus pertineret, omnibus Joachimicis hinc inde distractis & conflatis, ut tot acquiri impossibile fuerit, quærebatur, utrum Civitati redimendi Jus aliis thaleris integrum foret? affirmativa & Juri & Æquitati convenit. v. legg. in sine th. preced. alleg. quibus add. l. f. C. de pact. pignor.

LIX. Si monetæ in certa specie mutuo datæ intrinseca quidem bonitas mutata est, ut vel materia ejus deterior, vel pondus levius, valor tamen manere idem jussus, contractus tempus est respiciendum: thaleris proinde centum probæ monetæ mutuo datis tot ejusdem bonitatis, aut plures numero deteriorati, donec bonitatem numerorum creditorum intrinsecam suppleant, seu in specie, seu in æstimatione restituendi. arg. l. 3. de Reb. cred. l. 69. D. de contr. Emt. l. 7. D. de Aur. & arg. leg. l. 1. C. de Vet. Num. pot. è diverso, si intrinseca bonitas aucta augmentum commodo debitoris cedit, nisi conventum inter partes fuerit, qua bonitate restituendum debitum, tunc enim legem contractui dat pactum, l. 7. §. 6. D. de pact. l. 34. D. de R. 1. l. 1. §. 6. D. deposit. l. 11. §. 1. D. de act. Emt.

LX. Quando data pecunia in quantitate seu genere, v. g. Libræ, floreni, nulla corporum mentione facta, in quacunque moneta etiam minuta. arg. l. 75. D. de legat. 3. welche gâng und geb / und in Schroot und Korn just ist / secundum bonitatem tamen contractus solutio fieri potest.

LXI. Si pactum accesserit, ut thaleri crediti ad certam æstimationem restituantur, solutione æstimationis conventæ in numis, quales sunt tempore solutionis, ejusdem tamen bonitatis cum iis, qui fuerunt contractus tempore, liberatur debitor, sive thaleri deteriores facti sint, sive meliores, non enim tam thaleri, quam eorum æstimatio, quæ venditionem facit l. 10. §. 4. seq. D. l. 10. C. de fur. dot. est in obligatione.

LXII. Si

LXII. Si numerorum mutuo datorum æstimatio post contractum aucta fuerit, materia & pondere integris manentibus, tot reddendi numi, quot & qua bonitate dati sunt, aut si haberi ne queant, loco eorum æstimatio, qualis est tempore solutionis; cum enim debitor pecuniam mutuum expenderit, æstimationisque senserit commodum, aut quo minus in suos usus verteret, vel creditori restitueret, in mora fuerit, æquum est, ut mutatio potius creditori, quam ipsi commodum afferat. *arg. l. 5. D. de reb. cred. l. 23. D. de V.O. vicissim debitor, diminuta æstimatione, liberatur, si rursus vel tot, quot accepit in eadem bonitate, vel æstimationem eorum, prout nunc est tempore solutionis, expendere paratus sit.*

LXIII. Si Princeps monetam omnino reprobet, atque commercio exulare jubeat, novam ejusdem materiæ & ponderis, diversæ autem formæ, monetam substituendo, non sufficit reprobata solvi monetam, sed nova reddenda, secundum æstimationem monetæ antiquæ, *arg. l. 2. §. 1. l. 3. l. 5. l. 6. D. de reb. cred. nisi ex parte creditoris, mora intercesserit, tunc enim liberatur solvendo reprobam eam monetam. arg. l. 39. l. 72. pr. D. de solut. c. mora de R.I. in 6. l. 173 §. 2. l. 203. D. de R.I.*

LXIV. Hæc sunt, quæ ex Constitutionibus Imperii remedia ad medendum corrupto Rei Monetariæ Statui colligere tumultuario labore licuit, omissis, quæ alias à Dd. de Jure Monetæ prolixè notantur, qui à ^{curioso} ~~Leq.~~ re consuli possunt. *Alb. Brunus. de augment. & dimin. monet. Joh. Aquil. de potest. & util. monet. Bilibald. Pirckheimer. de priscorum numor. æstimatione. Martin. Garat. Laudens. & Joh. Regnaud. de Monet. Molinaus de mutat. monet. Covarruv. de Vet. Num. Collat. Hornmann. diss. monetar. in discussione contention. crediti & solutionis. Hanffmann. de re monetaria. Andr. Dinner Diss. 3. de moneta mutatione, quoad solutionem. Zeetsch. Diss. de jure monetæ. Malestrettus in Paradox. Bodinus de augment. auri & argenti, contra Malestrettum. & c. 3. lib 6. de Republ. Rener. Budelius. de monet. & re numar. Bornitius de numis. Bocerus & Joh. Kizel. de Jure Monet. Marq. Freherus. de re monetar. Goldast. Cathol. Rei Monet. Oelhafen. Orat. de St. Rei Mon. in Imp. Rom. Germ. Fritschij. Elect. Jur. Pub. c. 16. Francisc. de Aretio. consil 11. 12.*

AK TK 2836

Antonij Rubei. consil. 148. Lud. Romani. cons. 123. Nicol. Everhardi. cons. 78. & 105. Jac. Menochij. cons. 48. 138. Elberti Leonini. cons. 31. Job. Capival. cons. 31. Mariani Socini. cons. 145. 298. Henning Gæden. cons. 77. & qui omnibus palmam præripit Illustris hujus Reipublicæ Quindecimvir Elias Brackenhofer in Lexico suo mscpto Monetarius totius Orbis locupletissimo, quod si aliquando publici Juris fieret, maximum huic scientiæ lumen allaturum esse penitus confidimus.

Devotas TRIADI grates ago humillimus ALMÆ,
quod rite ad finem venerit iste Labor!

COROLLARIORUM

Dodecas

1. Testamentum apud acta ordinandum Testatoris personalem requirit præsentiam, nec sufficit per literas mitti, aut per Procuratorem insinuari.
2. Thesaurus in fundo Feudali vel Emphyteutico ab alio inventus jure Soli ad Vasallum & Emphyteutam non pertinet.
3. Non in omni Iudicio, in quo Dominii quæstio tractata, transfertur per Sententiam Dominium.
4. Occisurus Titium si Mævium per errorem occiderit, Ordinaria Legis Cornelix pœna tenetur.
5. Si cadaver in præsentia suspecti sanguinem emittit, sufficiens ad torturam indicium non est.
6. Consuetudo illa, per quam Carnifex omnia, quæ in eo loco, ubi quis violentas sibi manus intulit, sursum, deorsum, & ex latere attingere potest, sibi arrogat, non est rationabilis & proinde non toleranda.
7. Perjurus tam de Iure Civili, quam Canonico puniendus.
8. In legato rei alienæ nullam inter Ius Civile & Canonicum agnoscimus differentiam.
9. Successione feudum proprie non acquiritur.
10. Feudum ob feloniam ipso Iure non amittitur, sed per sententiam Iudicis.
11. Camera Imperiali Ordinaria competit Iurisdictio.
12. Imperator in indicendis, transferendis & reassumendis Comitibus opus habet Consensu Electorum, ita ut Comitibus, citra eorum consensum indicta, sint ipso Iure nulla.

F I N I S.

1017



HEE
RII
C
JO
P

SEE



IMIS
DOMINIS
S
HARDO, &
HARDO
MANIS,
HANAV,
KEN, DOMINIS
CHTENBERG
&c. &c.
RGENTORATENSIS
TIS SUPREMIS
HALLÉ
FAMILIÆ
tua excelssiore
& Spes Subditorum
genera atate
ventu,
servantia,
rat
ener.



hujus
riae
quar
eam

C
temp
max
de co
gene
que
num